



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Orationes Dvae// Clariss. Et Ampliss.// Virorum,// Altera
Iacobi Sadoleti// S.R.E. Cardinalis, De Pace// Ad Imp.
Carolvm V.// Altera Io. Baptistae// Campegii Bononiensis,//
Maioricensium Episcopi,// ...**

Sadoleto, Jacopo


Venetiis, 1561

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68816)

Th

5798


X XI. 24. R. 5798.



ORATIONES DVAE
CLARISS. ET AMPLISS.
VIRORVM,

ALTERA IACOBI SADOLETI
S. R. E. CARDINALIS, DE PACE
AD IMP. CAROLVM V.

ALTERA IO. BAPTISTAE
CAMPEGII BONONIENSIS,
MAIORICENSIVM EPISCOPI,
DE TVENDA RELIGIONE,
IN CONCILIO TRIDEN-
TINO HABITA.



VENETIIS, M D LXI.

ORATIONES DVAE

CLARISS. ET AMPLISS.

VILH. V. M.

ALTEA IACOBI SADOLETTI

S. R. E. CARDINALIS DE PACE

AD ILL. CAROL. V.

ALTEA IOH. BAPTISTAE

CAMERACENSIS

DE TERNIS

DE TERNIS

DE TERNIS

TINO HABITA.



VENETIIS, M D L X I.

RAPHAEL CYLLENIVS
DOMINICO BOLLANO,
BRIXIANORVM EPISCOPO,
S. P. D.



TA MIHI, quæ opto, secunda omnia contingant, Dominice Bollane Antistes amplissime, ut tuæ erga me singulari benevolentia nihil antepono: in qua una post Deum opt. max. hoc tempore libens acquiesco. tuo enim præsidio cum aliquot iam annos fortunæ meæ nitantur, tuamq; etiam nunc in me tuendo & ornando serues consuetudinem; nihil sane esse uideo, quòd ego, te incolumi, non felicia omnia sperare ac polliceri mihi ipse possim. amo igitur, amaboq;, dum uiuam, & qua poterò, pietate eximiam istam, planeq; diuinam prosequar beneficentiam. cui si paribus, ut debeo, non licebit officiis respondere; animi certe grati significatione (quæ sola mihi nunc facultas relinquitur) in te remunerando partes meas nunquam patiar desiderari. Atque huius ueluti prædes promissi, meaq; testes uoluntatis, orationes ad te duas, opportune mihi, ut arbitror, nunc oblatas, mitto, à clarissimis & eruditissimis ætatis nostræ hominibus elucubratas, Iacobo Sadoletto Cardinali, & Ioanne Baptista Campegio Maioricensium Episcopo. quorum alter naturæ ante aliquot annos satisfecit, uir amplissimo dignitatis gradu, quòd eum egregia uirtus extulit, in perpetuū illustris. alter Bononiæ adhuc uiuit, atque ita uiuit, ut in summa laude, qua est ob antiquam gentis nobilitatem, omnium doctrinarum & utriusque linguæ perfectam cognitionem, incorruptam denique morum integritatem, longe celeberrimus; omni etiam honore ob præstantem uirtutem dignissimus habeatur. Equidem, lecta nuperrime oratione illa, quam is in Tridentino concilio superio-

ribus

A 2 ribus

ribus annis, De tuenda religione, in plenissimo summo-
rum Antistitum confesso, magna omnium approbatione
habuit; non modo sum incredibili, ut in hoc genere so-
leo, uoluptate perfusus, uerum etiam ætati nostræ, ac di-
uinæ religioni ex animo uereq. gratulatus, quòd uiros e-
gregios atque excellentes sit utraque aliquando sortita,
qui summum Christi Ecclesiæ splendorem afferant. Ea ue-
ro est ingenuitate, atque iis animi bonis ornatus Cam-
pegius (quemadmodum sapissime cum ex aliis permul-
tis, tum ex Francisco Robortello nostro potissimum au-
diui, qui eum diligentissime obseruat, uerisq. laudibus
ubique ornare non desistit) ut inter eos, qui nunc uiuunt,
si potest ulla in rebus humanis esse felicitas, uere felix
queat appellari: qui ab omni honorum gloriæq. conten-
tione remotus, quieti se, & tranquillitati penitus dedide-
rit: ociùmq. omne uel legendo semper aliquid, uel scri-
bendo traducat. ne quid interim dicam de beneficentia,
& liberalitate, qua in omnes bonos utitur incredibili,
eosq. potissimum, quos litterarum scientia, & doctrinæ
studiis uidet esse perpolitos: cum quibus dies totos sæpe
ac suauiter ponit, ab omni prorsus ambitione uacuus &
auaritia: quæ duæ animi perturbationes mortalium ui-
tam suspensam, ac miris modis sollicitam reddunt, & a ue-
ra tandem felicitate quamlongissime abducunt. Hæc e-
go etsi pro ea, quæ tibi cum illo, ut audio, singularis in-
tercedit, necessitudine nosse te optime intelligebam; nõ
potui tamẽ in hac mihi ipse occasione temperare, quin e-
ius laudes breuiter perstringerem. cui nunc per aduersam
ualetudinem cum ad celeberrimum istud, quod rursum
indictum est, Tridentinum concilium, conuenire, ut o-
ptabat, & à Pontifice maximo per literas inuitatus fuerat,
minime liceat, magnis uidelicet articulorum doloribus
aliquot iam menses oppresso, atque ex iis in lecto graui-
ter iacenti: dolendum sane est bonis omnibus, præcipue
uero Christi Ecclesiæ, quæ talium uirorum præsidio in pri-
mis nititur, qui doctrina & pietate ceteros mortales ad
sui imitationem, hoc est ad eandem probitatem, & bona-
rum

rum artium cognitionem inuitare atque allicere possunt. Videor autem mihi non inepte prorsus in præsentia fecisse, qui elegantissimas hasce orationes, tuo nomine inscriptas, in apertum emisim: cum præsertim tu quoque & eloquentissimus sis, & in eorum numerum, quibus Christianæ reip. salus curæ est, diuino beneficio abhinc triennium relatus eam nunc personam sustineas, in qua ad restituentam pristinam religioni dignitatem adiumenti plurimum, & auxilii positum esse uideatur. Neque enim ex iis omnibus, quæ non omnino uacua consilio fecisse aliquando uisus est Paulus III Pontifex maximus, uel omnium iudicio præclarior quicquam, aut sapientius factum habetur, quam quod mature te à Reip. tuæ administratione quasi abreptum, insperantem quidem certe ac pene inuitum, ad sanctæ Ecclesiæ procuratorum edicto suo, Brixianis id in media tua prætura petentibus, traduxerit, illa tantummodo fama impulsus, quæ de tuis maximis uirtutibus passim percrebuerat, æquitate, industria, prudentia, humanitate: quibus præfecturas duas amplissimas cum summa tua laude, admiratione autem hominum tanta, quantam alias non meminimus, administraras. ubi tua singularis uirtus in primis enituit, cum utranque maxima uastitate, & periculo liberaris; Vtinenses quidem fame, pestilentia, & coniuratione; Brixiam uero cum diuturnis seditioibus & intestinis odiis, tum grauissima atque atrocissima illa, quæ aduersus Cremonenses in Ollii fluminis, quod amborum fines alluit, controuersia ardebat, dimicatione. Neque uero postea Senatus Venetus, quem maiestatis causa nomino, huiusmodi in re opera tua uti destitit. cum enim proxime rursus inter eas ciuitates orta esset altercatio uehemens ad eum, ut ad manus atque ad pugnam res denuo ueniret, impositum est hoc iterum tibi negotium, teq; ex augustissimo illo patrum consensu euocatum, ad sedandam omnem penitus contentionem Brixiam reuerti senatus iussit uniuersus. cuius uoluntati, & diuturno ciuitatis illius desiderio ita est à te satisfactum, ut, pacatis Cremonensium animis,

animis, rebusq; tum è Reip. dignitate, tum ex omnium
sententia tandem compositis, laborum tuorum fructum,
qui in immortalitatis gloria potissimum est positus, uber
rimum iam & honestissimum capere incipias. Sed me tua
rum uirtutum admiratio nescio quo pacto longius aspor
tauit. non enim hoc loco propositum est mihi laudes tu
as figillatim uelle pertexere, quæ copiosam orationem,
aut plenum potius uolumen, non breuem epistolam, ui
dentur flagitare. cursim hæc & breuiter attingi, meæ ue
teris in te obseruantia potius testificandæ gratia, quam
quòd opus esse intelligerè ea scriptis illustrare, quæ sunt
ipsa per se clarissima. Animi quidem mei ad te colendum
propensionem si libenter, ut hætenus fecisti, & in poste
rum te facturum spero, amplexus fueris; me beatissimum
putabo. amplissimo enim iudicii tui testimonio ornatus,
maximo quoque honore affectum me esse arbitror.
Vale. Venetiis, Kal. Octobris, M. D. LXI,

IACOBI SADOLETI
ORATIO DE PACE

AD IMPERATOREM CAROLVM

CAESAREM AVGVSTVM.



HVIVS tanti, & tam diffusi gaudii, quo pace per te, Imperator Cæsar Carole Auguste, Christiano nomini data, omnium mortalium mentes incredibiliter exultant, utinam possemus, quemadmodum cuperemus, in agendis tibi gratiis magnitudinem uerbis exprimere. Sed cum eam capere nec animis nostris ualeamus, nulla erit profecto oratio, quæ aut tanto tuo in omnes homines merito, aut tantæ nostræ uoluptati, & lætitiæ par, atque idonea inueniri unquam possit. Non enim nostræ fortunæ duntaxat, quæ legibus extinctis, & æquo iure sublato, insolentum ubique hominum licentia, & detrimentis diuturni belli fractæ erant, & dissipatæ, per te nobis redditæ, & constitutæ sunt: neque ipsa salus, uitaq; nostra, ea, quæ corporis incolumitate continetur, cum nusquam tutum antea neque commorandi locum, neque progrediendi haberet, per eundem te, à metu, à periculis, ab exitiis omnibus seruata, & liberata est. Neque uero in liberis, fratribus, consanguineisq; nostris, quorum sæpe salus nostra nobis uita est charior, à discriminibus præliorum, à metu quotidianarum cædium, ab iniuria, libidine intemperantium hominum, saluis iam,
&

& incolumibus nobis restituendis, tua liberalitas con-
stitit: sed quod maximum horum omnium multoq;
magnificentissimum est, coelum, coelum hoc ipsum
inquam, portum laborum, ærumnarumq; nostrarū;
quod religione Dei immortalis, aut cõtaminata ubi-
que fere gentium, aut interempta iamdudum amise-
ramus; id nunc tuo diuino, & singulari beneficio, Im-
perator, recepimus. Atque hæc tua tanta, & tam exi-
mia dona, quibus Christianas gentes uniuersas es cõ-
plexus, si per se ipsa separate pendenda essent: cum
nulla uideatur esse æstimatio, quæ ad pondus earum,
& dignitatem posset aspirare: tum hoc nobis maio-
ra, chariora, optabilioraq; fuerunt, quòd inopinato,
nec expectantibus nobis, in ipsa pene iam extrema
rerum omniũ desperatione sunt collata. Sic enim ia-
cebamus afflicti ante, & perdit: sic omni calamitatũ
genere premebamur; ut nullam iã omnino spem me-
lius aliquando nobis fore retineremus, ut miseræ il-
lius, & infelicis uitæ finem non alium, quàm mise-
riorem etiam mortem expectaremus: cum te, o cle-
mentis. & optime Imperator, bellum quidẽ urgen-
te fortiter, atq; feliciter: sed nihilo minus pacis con-
silia tacitis tuis cogitationibus fouente; quòd te no-
strorum malorum, quotidianarumq; calamitatũ iam-
pridem erat misertum: nos exanimes, stupefacti, op-
pressi nuncio pacis, tuæq; bonitatis, & sapientiæ lu-
mine nobis oblato, statim à caliginosa, & turbulen-
ta uita ad serenam, atq; tranquillam, à desperatione
ad spem, ab infinito omniũ rerum mœrore ad sum-
mam alacritatem, & lætitiã consurreximus. Quid
ergo esse potest, uel in diuinis muneribus, uel in hu-
manis,

manis, quod non secūdum Deum quidem, & secūdum illius immensam ineffabilemque bonitatē tibi acceptum referre debeamus? qui uitam, qui salutem, qui libertatem, qui leges, qui hominum societates, qui humanitatis iura, qui pignora naturæ, domesticæque charitatis, & sanguinis; qui agros, qui familias, qui urbes, qui domicilia, pacem, ocium, tranquillitatem, concordiam; qui spem denique cœlestium bonorum, & illius beatæ optatæque immortalitatis, quæ tantum fide Deo pie, sancteque, atque ita uti à maioribus nostris præscriptum est, habenda, retineri à nobis potest; tuo ipsius munere incolumem obtinemus. Quæ omnia prorsus erant nobis ablata, nisi bonitas tua illa restituisset. Equidem dolebam, & pro mea constante, ac perpetua erga Christianam Remp. uoluntate sapissime hoc cogitans angebar, quòd inter te, & inter Galliæ Regem Franciscum, quos probitas, & uirtus, eademque erga Deum religio; tum autē sanctæ necessitudinis uinculum maxime coniuungere, & unanimes efficere omnibus in rebus debebat; tantū, & tam atrox bellum incidisset. Cuius belli quidē auctores, & hortatores qui fuerint; tacendum mihi esse arbitror: quæ uero, & quanta ex eo bello Christiano nomini damna, atque exitia inuecta sunt; quis potest tacere? Nam si ullum unquam fuit bellum gestū à barbaris, quod uel asperitate odiorum, uel cupiditate ulciscendi, uel etiam innata quibusdam gentibus crudelitate, cladem, & uastitatem intulerit nationibus, interneccionem populis, omniaque humana, ac diuina, impetu suo, incursumque peruerterit: Hæc omnia uidimus efficere istud bellum; quod tamen inter

B duos

D E P A C E

duos optimos, atque humanissimos principes gerebatur: cum alter Insubres sibi ereptos, alter subalpinas gentes quereretur: deposceret autem ita uterque id, quod iactaret suum, ut reddendi mentionem non faceret. Neque tamen fuisset ea disceptatio tanti, facileque iniri ratio concordiae aliqua potuisset; si non suspiciones, si non animorum offensiones, si non dicta utrinque, factaque nonnulla, quae speciem iniuriae uidebantur habere, iras, & animos ad perseverandum inflammassent. Quanquam si uerior huiusce mali causa proferenda nobis est, infensus hominum peccatis, & sceleribus Deus, cum suum nomen negligi, suasque passim pollui religiones uideret, hoc calamitissimo bello poenas à nobis sui uiolati numinis expectiuit. Nam quid aliud credi, aut existimari potest, duobus talibus inter se dissidentibus principibus, quorum uterque mitis, clemensque natura, ab huiusmodi stragibus hominum, & ab effundendo sanguine Christiano uehementer abhorreret; nisi Dei occulto, iustoque iudicio hoc bellum inter amicas, & eisdem legibus coniunctas nationes, tanta obstinatione animorum, quantam experti sumus, tam multis annis, tanta cum pernicie Christianorum populorum, & susceptum fuisse, & gestum, & continuatum? Cuius tamen belli si qua nonnunquam interualla fuerunt, uel tacitis induciis, uel consensione factis: quod quidem in tam longo tempore aliquando fuit necesse, defatigatis manibus, mentibusque eorum, qui usu armorum assiduo sua corpora contriuerant: id tu tibi tempus, maxime Imperator, non ad praeteritorum tuorum laborum requiem, sed ad nouorum gloriam iustius adipsendam

piscendam sumpſisti . qui magnis sæpe exercitibus comparatis, maximis classibus instructis, & adornatis, contra nostræ religionis hostes toties iam bella terra, mariq; mouisti. Ex quo patere recte iudicantibus potuit, te, cum arma sumeres aduersus Christianos, necessitate sumere; cum aduersus barbaros, uoluntate. Itaque ad Viennam primum Austriæ urbem, quæ in fratris tui clarissimi Regis Imperio, & ditione sita est, cum ad eam oppugnandam innumerabiles barbarorum copiæ conuenissent, & quòd præsidium in urbe non satis firmum esse uidebatur, ut eam expugnandi magnâ spem cœpissent; quòd eo deinde tanquam Germaniæ, Italiæq; euerso propugnaculo, liberos sibi excursus quascunque in oras, & regiones uellent, fore intelligebant: tu qui tum forte in Italia, & locis Galliæ Cisalpinæ remotioribus eras, re audita, cõfestim subsidio accurristi, manusq; multæ fortium uirorum te eodem secutæ sunt. quorum aduentu, tuæq; imprimis fama, & nominis tui auctoritate hostes deterriti, consilium fugæ statim inierunt, neque putauerunt, cuius absentis nomen sustinere non possent, eius præsentis, armaq; uibrantis uocem, & uultum se laturos. Itaque & tibi Imperator tum iucundum uisu fuit, & nobis auditu certe mirabile, illa infinita hostium agmina (nam ad sexcenta millia armatorum in obsidionem illam conuenisse constabat) nullo audito tubæ sono, nulla aduersa acie prospecta, nullis signis collatis, tantummodo rumore, & fama, aduentus tui, fusa, dissipata, fugata, uelut apum examina, subito euanuisse. Quo quidem tempore nos cum maximis in cœlum laudibus uirtutem tuam tollere-

STIROD

B 2 mus;

D E P A C E

mus; tum salutem quoque Italiae acceptam tibi referre non dubitabamus. Secuta est maritima expeditio in Africam; quod tu cum copiis cum traiecisses, Tunetum opulentissimam urbem primariam totius Africae sobolem, atque genus magnae illius, & uicinae, desertaeque; Carthaginis, possessam a piratis, & barbarorum gentium armis, copiisque; ita refertam, ut capi non posse uideretur, ui tamen, & uirtute recuperauisti: maximosque Numidarum exercitus, qui obsessae urbi auxilium ferebant, proelio collatis signis profigasti, partaque illustri uictoria, & rebus compositis, cum dominatum omnium gentium illarum retinere tibi posses, urbem illam nihilominus, & totum regnum pristino Regi suo, qui illinc antea expulsus, in fidem, & patrocinium tuum confugerat, reddidisti. Eoque memorabili facto ostendisti, non uirtutem solum tuam bellis inuictam, sed fidem hostibus etiam sanctam esse. Quid dicam de classe illa maxima, & ornatissima, quam tu, & qui tecum praclaro foedere tum coniuncti fuerunt, Paulus III. Pontifex Maximus (cuius semper mens, & cogitatio ad hoc sanctissimum contra barbaros bellum aspirauit) & Veneti, quibus paulo ante perfidus Turca foederibus ruptis insignem iniuriam apud Corcyram fecerat, comparaueratis? non ne cum opposita hostium classe nauali praelio iamque esset dimicandum, tua classis iudicio omnium, & armis, & animis longe tum superior habita est? Quae tamen subito aduerso coorto uento, ad littora Epiri coacta est deflectere. Cum nemini dubium esset, si praelio res potuisset decerni, quin se ad tuas partes uictoria fuerit deditura. Nam illam alteram tuam
contra

contra Algerium urbem Mauritaniae maritimam expeditionem ii fortunae casus consecuti sunt: ut uideatur illa cum summi Imperatoris uirtute, & sapientia uenire in certamen, & pro laude, ac uictoria pugnare uoluisse. Cum enim illa urbs loco, manuq; munita sedes esset, & receptaculum omnium praedonum, qui ex ea exire ad populanda littora Italiae, & Hispaniae, & eodem se referre omnibus è locis solebant; tu delendae huius maculae, & periculi Christianis nationibus depellendi cupidus, eò cum maxima, & instructissima classe celeritate incredibili transmisisti: continuoq; expositis in terram militibus, moenia adortus oppugnare coepisti. Cum pugnantibus fortissime tuis, te ipso nullum locum consulendi, adhortandiq; praetermittente, iam pars montis superior, quae oppido imminet, fugato praesidio hostium a cohortibus tuis teneretur, diffidentq; piratae, & oppidani uim tuam amplius posse sustinere; repente obducto densissimis nubibus caelo, magnaq; cohorta tempestate; cum ingentibus procellis maximi effusi imbres; reuocare te milites tuos ab oppugnatione, & quod classis nondum satis erat subducta; etiam compingere in naues coegerunt. Quo in tumultu cum perturbate omnia agi esset necesse: caelo tonante desuper: omnia conuolente uento: pluuiis obruentibus, quis ignorat quam admirabilis tum uirtus tua, quam constans animus, imperturbatusq; extiterit? Cum tu discurrens in omnem partem milites tuos undique colligeres, eosq; uerbis consolarere, & ad conscendendum ante te compelleres. Quò illis tuta a tergo omnia tuo periculo, & diligentia praestarentur. Quis tum non uidit?

D E P A C E

dit? quis non cognouit? in illo infesto casu, qui præter naturam illorum, consuetudinemq; locorum inopinatus acciderat, magni Imperatoris, Ducisq; uirtutem, acrius etiam explorati in aduersis rebus, quàm in secundis? Si is non armis deterritus hostium, non circumuentus consiliis: sed ea habens aduersaria, quibus uis humana obsistere non potest, æquitatem nihilominus animi erga Deum, aduersus hostes fiduciam, in rebus turbidis consilium, iudiciumq; retineat? Quæ omnia tum Cæsar tibi ita affuerunt, ut nullius spectatior unquã uirtus Imperatoris in uictoria, quàm tua fuerit in illa offensione. Nec uero ea in contentione tibi quidquam fortuna eripuit, præter uictoriam, quam tu de hostibus tuis propemodum partam iam habebas. Illud quidem in te eadem perfecit, ut perspicuum omnibus fieret, maioris esse roboris fortunam sapientia, quàm armatos hostes prælio superare. Sed quorsum hæc? quorsum? nempe Imperator, ut rerum præclare à te, fortiterq; gestarum memoriam usurpantes innouemur ad pristinam illam spem, quam de tua eximia in Christianam Remp. uoluntate iam ante susceperamus: qua una spe soliti eramus niti: Sed eadem post nobis multarum concursu calamitatum, quas diuturnum istud, atroxq; bellum, quod tibi cum Galliæ Rege intercessit, populis Christianis inuexerat, fueratq; ablata, cum uirtuti quidẽ tuæ, animoq; non diffideremus: sed de infelicitate nostra conquereremur; tametsi culpa erat illa nostra potius, quàm infelicitas. Cur enim non aperte, planeq; confiteamur? Cum innumerabilibus peccatis, & malis facinoribus, quæ in Christiano genere iam diu

diu

diu uiguerunt, offensa Dei omnipotentis uoluntate, & illius nos clementiam à nostra prouidenda salute auertiffemus; & tuam ille à commodis, nostris procurandis facultatem. Neque enim hoc tu Cæsar ita uoluisti, nos miseri ut effemus, nec tua ista præstans naturæ humanitas, animiq; probitas hoc pati potuisset, ficut nec ad extremum quidem passa est. Sed tamen (et si præter uoluntatem tuam) hoc tum nobis ex isto bello euenerat, nihil ut iam superesset, quod uel in uita, uel in fortuna, uel in ipsa Dei præpotentis religione tutum usquam, aut stabile, aut integrum teneremus. Iacebant diuturno bello percussa, & prostrata omnia, quibus cultus uitæ, & humanæ societatis iura continentur: neque erat quisquam tanti mali omnino expers. Italia, Germania, Gallia, Hispania, quæ solæ propemodum nobis, hoc est, populo, nominiq; Christiano à furtis Turcarum uerius dicam, quàm ab armis (quid enim illi unquã sua uirtute potius, quàm diffensionibus nostris sibi pepererunt?) reliquæ erant factæ; gemebant, & afflictabantur uniuersæ: populi ubique exhausti: multæ, & magnæ urbes direptæ; aliæ incendiis, aut deformatæ, aut euersæ; militaris ætas bellorum longinquitate consumpta, humanitas ex animis hominum assiduo usu crudelitatis deleta. Et quod erat malum reliquum, quod in calamitatibus nostris non inesset? nullum certe uidebatur. Cum ecce perpetuus ille humani generis prædo, & acerrimus hostis, Sathan, qui nunquam finit nos requiescere libere, qui semper fraudes, semperq; insidias nostræ uitæ, salutiq; molitur, amplam nactus occasionem inimiciarum inter nos, discordiarumque

no-

D E P A C E

nostrarum; &, quòd in bonis terrenis nimium occupati, illa cœlestia haud ita appetebamus; genus quoddam hominum nouum excitauit, quod nouo item quodam crudelitatis genere Catholicam Christi fidem, integritatemq; nostræ religionis inter Christianos ipsos labefactare contenderet: & ad cætera tot, tanta, tamq; intolerabilia mala, quibus hæc mortalis uita nostra premebatur, illam etiam, illam omnium teterrimam pestem adiicerent: ut spe cœlestium præmiorum exclusi, cum hinc discederemus, quod omnibus in morte necessario est faciendum, ne in Dei quidem misericordia, qua is propitius peccantibus nobis, sed implorantibus tamen ueniam fieri solet, perfugium haberemus. Atque huius mali semina primum orta in Germania, deinde impunitatem simul, & audaciam præbente hominibus cupidis rerum nouandarum, hac tanta orbis terræ perturbatione, longe, lateq; dispersa, Christianas fere omnes prouincias sic occuparunt, ut ea fruticari ubique largiter, & maiora quotidie obsidere spatia oculis prope cernantur. Et ego, qui ita eram natus, & ab initio ita institutus, ut, cum uitam omnem meam liberalibus primo studiis, deinde etiam sacris, religiosisq; dedissem, illa potissimum ualere semper cuperem, quæ de Deo, Deiq; filio credenda à nobis, & sentienda, quæque item in legibus bonis, & honestis moribus seruanda, & custodienda, sancta Ecclesia nobis diuino spiritu edocta præstituisset; cum uiderem illa contemni passim, & repudiari, quo in mœrore eram? quàm grauius fortunam communium temporum lugebam? quantis animi doloribus afflictabar? Erat omnino tã

uaria,

uaria, tamq̄; acerba omnium malorum facies, ut qua
re potissimum angerer, statuere uix possem. Cædes
fiebant quotidianæ; has meæ naturæ humanitas ue-
hementer abhorrebat: direptiones, incendia, rapinæ;
quid poterat cogitari atrocius? populorum oppres-
siones, pauperum hominum dispersiones, quibus
præsertim opitulari non posses, tanquam uulneribus
animum meum fodiebant. Neque hæc oculis magis
hauriebamus, quàm auribus: nec spectata maiorem
nobis dolorem inferebant, quàm audita: præsertim
cum undique, & omnibus horis tristes istarum rerum
nuntii ad nos perferrentur. Erat etiam noua species
auxilii (si id auxilium, ac non initium exitii grauioris
existimandum est) classis Turcarum uelut ad præsi-
dium Gallici littoris missa, speculatrix illa quidem no-
strarum miseriarum, quæ non alterum è uobis con-
tra alterum adiutum; sed utrosque perditos, & exter-
minatos cuperet. Nam quid aliud possumus de illa-
rum impiarum, & barbararum gentium crudelitate,
perfidia, cupiditateq̄; sentire? Sed tamen in tam im-
mensa mole malorum omnium, quibus Christiana
Resp. premebatur, nullum neque grauius me, neque
uehementius angebat, quàm fidei Catholicæ, & Chri-
stianæ religionis tanta perturbatio: quippe quæ illam
etiam extremam spem, & expectationem pacati apud
Deum, felicisq̄; perfugii nobis auferebat. Nam cæte-
ris in rebus, quàm diu hanc in terris uitam degimus,
gradus permulti sunt, quorum ex uno si excidas,
queas in alio consistere. Fortunæ amissæ sunt, non
desunt amici, qui te suis opibus, beneuolentiâq̄; su-
stentent. Hi quoque si euauerunt, habes domesti-

C ca

D E T P A A C O E

ca pignora, quæ tibi in rebus aduersis tamen sint solatio. Enimuero tibi ista etiam, uel natura denegarit, uel fortuna eripuerit, cum incolumi sis corpore, potes noua tibi subsidia alicubi comparare. Morbo, & corporis doloribus, quod extremum iam incommodum est, iaceas oppressus: tibi sic affecto ipsa mors medicina putanda est. Quid? mortis ipsius, uitæque amissionis, quam tamen summum malum complures nominauerunt, ecqua sunt solatia? reliquum unum est dumtaxat, & maximum omnium id quidem. Sed prorsus supremum, & ultimum, quodque nisi obtineatur, tota res plane desperata est, quod iis, qui pie, & cum religione uixerunt, Christianamque erga Deum fidem, sancte, constanterque retinuerunt, cœlum perpetuæ domicilium felicitatis est propositum. Vbi hi cum Deo omnium bonorum, & gaudiorum largitore, cumque eius mundissimis, & præclarissimis comitibus, qui uel ab initio ortus sui in illa cœlesti regione constiterunt, uel è terris postea Dei benignitate, suaque ipsam innocentia, ac integritate in eadem loca sublatis sunt, beato, & sempiterno æuo perfruatur. Hanc spem, leuamentum malorum, incommodorumque omnium, quæ plurima hæc mortalis uita cunctis hominibus affert; quæque præcipue nostra hac ætate innumerabilia, & maxima propter iniquissimam condicionem temporum in nostrum caput fortuna coaceruauit; tu mihi nouator rerum, religionumque eripias? et, cum labore, ac diligentia maiorum nostrorum, sanctissimorum hominum, qui ab Apostolis usque in hæc propinqua nostris temporibus sæcula continuata serie deuenerunt, munita nobis, & complantata

plantata in Cœlum sit uia; tu alios nobis calles, alias
femitas commonstres? per quas, & breuius, & tutius
ad eundem locum dicas posse perueniri? Primum
quis es tu, qui hoc nobis proponere, & polliceri au-
deas? qua auctoritate uir? qua grauitate? qua doctri-
na? qua castitate uitæ? ut tibi noua quædam, & inso-
lita inducenti, assentiri facile, & acquiescere debeat-
mus? deinde nonne omnibus apertum, & perspicuū
est (id quod ne tu quidem unquam tegere, aut dissi-
mulare potuisti) te non quia de religione à nobis dis-
sideres inimicum nobis esse factum: sed quòd inimi-
citas antea aduersus nos suscepisses, iccirco post dis-
sidere de religione cœpisse: ut non salutis communis
studio, neque intelligentia uerioris boni; neque uero
ob eam causam, quò hominibus suaderes, quæ pu-
tares esse sanctiora; sed iracundia; sed contentione;
sed odio nostri ordinis, cupiditateq; detrahendi, ad
tantas in fide Catholica seditiones excitandas com-
pulsus sis? In quo fatendum, ac ingenue est, quod
negari nec potest. nostra tibi uitia, uariaq; peccata,
quæ in natione sacerdotum permulta iam increbrue-
runt, ansam, facultatemq; præbuere, ut eis coarguen-
dis, & in inuidiam apud populos, crimenq; uocan-
dis, populariter agere, & alienare animos hominum
ab honore sacerdotii posses. Quod tu non tamen ex
Christiana charitate fecisti: neque piis in eo præceptis
Christi paruisti; cum, si eius leges, & mandata serua-
re uoluisses, probi sacerdotes amandi tibi fuerint, im-
probi potius docendi; ipsum autē sacerdotium, quo-
quomodo quidem cætera se haberent, sanctum, &
inuiolabile apud populos retinendum. Quòd si etiã

D E P A C E

aliquo non magno discrimine, neque nostræ æternæ uitæ, salutisq; periculo nouaretur aliqua res earum rerum quidem, quæ ad ueritatem religionis pertinēt, possemus forsitan dissimulare, & tacere. Nunc, cum ueritas nobis in iis rebus uitam, falsitas uero mortem cum miseria æterna afferat; ego ne perpetuum tot sæculorum consensum, tantam auctoritatem Catholice Ecclesiæ deferam? tibi ut assentiar, qui neque in uita, neque in doctrina eximium quicquam, aut singulare possides? quòd etiam si possideres, nunquam tamen tanti cuiusquam auctoritas esset, ut ea auctoritati Ecclesiæ deberet se opponere. Semper enim qui legibus Ecclesiasticis subiecto animo paruerunt, doctiores hi multo, & sapientiores habiti sunt, quàm qui nouis institutis, insuetisq; doctrinis peruertere illam, & commutare sunt conati. Nam, si in hoc continenti mille & quingentorum annorum curriculo, ex quo Dei filius humanum corpus assumpsit, Catholica perpetuo Ecclesia eundem sensum, eandemq; fidē de diuinis rebus seruante, ac retinente, quàm plurimi è nostrorum cœtu, ipsius præceptis Ecclesiæ instituti, aditum sibi in cœlum inuenire meruerunt; quid est, cur nos ab illa tuta, & iam explorata uia discedere nunc debeamus? Sin autem nemo adhuc extitit, qui causam recte cognosceret religionis, eamq; nunc primum isti ostendere nobis, aperireq; cœperunt; est ne quod cogitari possit indignius, quod ue magis impium, quàm seruatorem nostrum Iesum Christum, mentem, consilium, & sapientiam sempiterni patris sui Dei, tanto prius, quàm oportuerit, quamq; humano generi expedierit, in crucem sublatum, & mor-

corpus

tem

tem perpeffum esse? Cum hoc diuinum illius in omnes mortales beneficium, qui morte eius uitam ipsi adepti sumus, tam multis deinceps sæculis sterile sui fructus fuerit futurum? At primi id optime senserūt; nos prolapsi sumus: non in decretis quidem, non in sententia fidei, non in opinione, assensuq; ueritatis. Aliqua fortasse in moribus labes facta est, cui decuit alia subueniri ratione, alio prouideri consilio: omnia quidem certe agi ita oportuit, ut Christianæ tamen unitatis uinculum inter nos ne discinderetur. Sed hæc, quæ clariora sunt, quàm ut ambiguitatem recipiant, omittamus: ad illa redeamus, quæ nobis a principio fuerant proposita. nempe quòd cum tam misero esset in statu Christiana Resp. nec illi extremum uix spiritum trahenti, alia re ulla, quàm pace uestra inter te, Cæsar, & Regem Galliæ ferri subsidium posset, repente, nec opinato clemēs, & misericors Deus res desperatissimas, animosq; amborum uestrum dissentientissimos ad pacem, ad concordiam, ad pristinam inter uos beneuolentiam, charitatemq; adduxit, ut cum spem omnē salutis nos penitus abiecissemus; tum maxime sperare, & erigere animos inciperemus. Et solent quidem huiusmodi esse Dei omnipotentis dona, opinionibus inexpectata, temporibus opportuna, magnitudine immensa: ut nobis tum præcipue, cum uiribus nostris, consiliisq; diffidimus, bonitas diuina subueniat: quòd omnis ei à nobis gratia, omnisq; nostra salus accepta referatur. Sed, quoniam id quoque fuit necesse, ut amborum Regum mentes diuinis sponte inspirationibus consentirent: iisq; ambo consensere: est quidem uterque uestrum egregiam laudem

D E P A C E

dem meritis : sed tua , Cæsar, in hac re præcipua fuit gloria . Tu enim pacem , & bellum in potestate habebas , & utro te dedisses , eò te fortunam sequi Reip. erat necesse . si bellum maluisses , ut semper esset misera : sin ad pacem te inclinasses , tum ut suorum ornamentorum (si qua ei tamen reliqua adhuc sunt) retinendorum , aut etiam recuperandorum , quæ plurima illi sunt amissa , spem aliquam conciperet . In qua ancipiti futuri euentus expectatione cum uehementer animi penderemus , essemusq; tamen ad metuendum , quàm ad sperandum propensiores ; aut si id , quod res est , apertius est dicendum , timor plane in eo spes nostras obrueret , subito , & inexpectato Dei immortalis munere , tua te ad hanc optimam partem , Carole Cæsar, inducente prudentia , pietate , uirtute , lætissimus confectæ pacis nuncius per omnes oras , regionesq; Galliæ , Italiæ , Germaniæ , Hispaniæq; cucurrit . Quo nuntio excitati animi cunctorum sunt : & ad coelum omnes cum uoluptate intuendum uultus suos erexerunt : quos antea timor , & omnium rerum desperatio in terram illis defixerat . Atque ego non dubito , quin tu hac semper mente , & uoluntate fueris , ut per te potissimum uelles communi Christiani nominis saluti esse consultum . Quid enim aliud tua illa inuicta toties iam arrepta contra hostes fidei Christianæ arma nobis indicabant ? quid classes ? quid exercitus ? quid tuum ipsius corpus , terra , atque mari omnibus sæpe periculis expositum a te , atque obiectum ? nisi te ea semper cogitare , moliri , agere , quibus maximam gloriam tuam cum summa Reip. utilitate coniungeres ? *mob* tare

tare me, rectius nunc dico, mihi plane fuisse cognitū, cum non cōiectura mihi res pendenda sit; sed isti tuæ optimæ, præclarissimæq; uoluntati penitus sim conscius. Qui quidem tecum, & Nicææ bis: cum tu eò, & Rex Galliæ Franciscus, Paulo Pontifice Maximo uocante, ob causam agendi de pace conuenissetis: & Buffeti semel in Placentino agro: quò te eiusdem Pontificis rogatu contuleras, congressistis, in uariis, multisq; sermonibus facile perspexi, nihil te habere consiliis tuis magis propositum, quàm exactionem barbarorum, restitutionemq; ueteris Imperii, & Christianæ religionis propagationem. Quarum rerum pulcherrimarum, atque amplissimarum conatum, atque curam, cum magno quidem tuo cum dolore, hæc tibi cum Rege Gallorum dissensio suscepta impediret; recordor me cum multa tibi suasisse, quæ pertinebāt ad pacem; tum hoc imprimis dixisse, constanterque affirmasse, non posse mihi persuaderi, quin te unum Deus ex tam multis principibus, qui tot ante fuere sæculis, legisset, per quem uellet honorem sui nominis, & inter Christianos sanctis moribus reducendis, & inter barbaros impietate excidenda, ubique propagari: cum is tantam Imperii potentiam, cum tanta in te, & magnitudine animi, & prudentia copulasset: neque credibile esset rebus Christianis, & extrinsecus, & intra iam profligatis, & prope perditis, quin mediatum, & paratum iam afforet ab ipsius Dei prouida, & misericordi mente, in te, & in tua uirtute, auctoritateq; præsidium. Quamobrem te hortabar, ut ne tempus amitteres: & cum nosses hoc tam præclarum de te Dei omnipotentis iudicium, cum eo Rege bello

council

bello

D E P A C E

bello ne contenderes, quo cum tibi arcta affinitas iam
 esset: summæ autem beneuolentiæ, summæq; neces-
 situdinis charitas facile coire inter uos, & conciliari
 posset: in eos autē hostes tua arma conuerteres, quos
 nec amicitia tibi adiungere propter illorum impiam
 contra sanguinem, & nomen nostrum crudelitatem:
 nec foederibus obligare, propter eorundem perfidiã
 posses: & qui præcipue te ipsum propriis iniuriis sæ-
 pius iam laceffissent. Quibus tum meis suasionibus,
 & precibus memini te Imperatoria illa tua grauitate
 decentem leniter admodum, & sedate respondere:
 Cum hæc diceres, summum quidem tuum studium,
 summamq; cupiditatē semper fuisse bello barbaros,
 & Turcas insectandi, eiusq; tui animi satis multa te
 existimare signa, atq; indicia Christiano nomini abs
 te fuisse data. Sed tamen non posse in præsentia pati
 dignitatem tuam, cum te Rex Galliaë imparatum, &
 absentem, & propter inducias, quæ inter uos fuerant
 dictæ, nil tale suspicantem, improuiso bello laceffif-
 set, nonnullaq; tuæ ditionis oppida subito aduentu
 suo occupauisset; ut tu eam iniuriam placato animo
 ferres. Cum si id ita faceres, quasi ulciscendi, & uin-
 dicandi tibi non esset facultas; & inimici tui animos
 aucturus, & in tua existimatione maculam contractu-
 rus esses. Multa præterea dixisti, cur tibi tunc firmã,
 & ueram pacem cum eo sperare non liceret. Quæ ego
 audiens equidem diluere conabar, ueneram enim a
 Gallica Legatione recens, quò me Pontifex Maxi-
 mus pacis suadendæ gratia ad illum optimum certe,
 & omni humanitate ornatissimum Regem miserat: il-
 lius animum perspexeram: a studio pacis eum non
 alienum

alienum intellexeram . Quæ cum commemorare , & persuadere cuperem , necesse mihi ad extremum fuit orationis grauitati, & firmitati tuæ uoluntatis cedere: tantum discedens tibi dixi, dolere me quidem peruehementer, quòd exoptatos fructus præstantissimæ uirtutis tuæ istæ sociales inter uos discordiæ nobis interrumperent : sed tamen , quòd spe certissima tenerer non frustra te à Deo talem, & tantum Principem nobis tributum esse , sed ut esset qui Christianos populos à barbarorum iniuriis, contumeliisq; defenderet : facturum me (quod in me esset) ut assidue dies, & noctes omnipotenti Deo pro uita , & salute tua supplicarem . Quod feci, Imperator, & facio, tantoq; posthac amantiùs, & studiosius facturum sum, quanto intelligo, pace inter uos constituta, & meorum exitum uotorum quotidie magis, & tuæ in nostra salute stabilienda speratæ laudis appropinquare . Sed, quod dicebam ; cum abiissem à te mœrens, mihiq; ob animū tua durior quidem illa, quàm tum mihi debere esse uidebatur, belli cum Rege Galliæ gerendi deliberatio uersaretur: non tamen uidi ; id quod si uidere, & perspicere potuissem, non ego humano , sed diuino quodam ingenio fuisset, præditus : parq; (quod optandum est magis, quàm sperandum) tuæ incredibili sapientiæ mea mens extitisset : non uidi (inquam) in uolucrum abstrusum , & multiplex , prudentissimarum cogitationum tuarum, quæ cum eodem omnes intenderent , quò nos cupiebamus : cum tibi hoc unum esset maxime semper propositum , ut propugnationē populi Christiani aduersus Turcas susciperes , itinera tamen, atque uias, quibus ad illius consilii exitum

insidglutimur

D possit

D E P A C E

posset perueniri, tu solus acutissime cernebas: nos ignorabamus. Fateor, Carole: non diffimulo: latuit me altitudo, & consilii, & animi tui; quæ ne nunc quidem mihi satis perspecta esset, nisi eam exitus ipsi rerum patefecissent. Itaque quod solebamus sæpe, aut cum aliis loqui, aut per nos ipsi sentire, cum de te, deq; tuis rebus gestis mentionē haberemus, quod in omnibus fere congressibus, & circulis cōtingebat, donatum esse à Deo nobis Principem, cuius similem alterum uix ulla unquam habuisset ætas: cōsilio præcellentem, belli armis inuictum, nihil animo concipientem, nisi quod altum, quod insigne, quod gloriosum existeret: tum humanitate, continentia, cæteris uirtutibus singulariter ornatum: quæ quidem summū Principem uirtutes, Imperatoremq; deceant, quiq; magna iam indicia uirtutis suæ, & erga Deum pietatis populo Christiano dedisset, pro cuius Dei nomine, honoreq; tutando, tot iam aduersus barbaros bella suscepisset; totiens mare transisset; tam præclaras domum uictorias reportasset: Constantinum illū primum, aut Theodosium, aut illū etiam ipsum, qui uestri generis, & nominis fuit auctor, Carolum Magnum uidebamus tanquam è Cælo nobis redditum, & restitutum in te possidere: quin etiam maiora de te sperabamus, quàm de illo accepimus. In hac tanta commemoratione laudum, uirtutumq; tuarum inerat tamen quiddā, quod desiderabatur. Nosti enim, Cæsar, hominum mores, atque ingenia: quò plura, & maiora in quopiam ornamenta conspiciunt, hoc magis ad requirendum, si quid abest, conuertuntur. Nec uero in tanta luce laudum tuarum, quæ te circumfulgebant,

cumfulgebant, quicquam poterat esse non apertum, quod dissimile esset partium cæterarū. Lenitas quædam in te maior, & clementior animus ad deponendas offensiones requirebatur: ut cum sociales discordias Reip. condonares, ad gerenda sanctiora, & magis necessaria bella expeditior fores. Cuius quidem communis pene nostrum omnium opinionis de te, & iudicii nunc me uehementer pudet. Clementiam ne in te nos, & placabilitatem quærebat? aut hæc eximia uirtus in tuis tot cæteris ornamentis te una deficiebat? Tu ista natura, isto genere, isto animo, ista sapientia ferus, & implacabilis esse posses? quid essent, Cæsar, reliquæ tuæ uirtutes tantæ, & tam multæ, nisi tu eas humanitate, clementiaq; condires? Nam arma quidem tractare fortiter, gerere res constanter, terribilem esse hostibus, inuictum in rebus aduersis, acrem, & persequentem in secundis, complures ueterum ducum, atque Imperatorum, & studuerunt, & ualuerunt. Illud, illud in paucis fuit admirabile, illud laudandum, si qui extiterunt, qui in magna fortuna mite ingenium, & moderatum animum potuerint retinere. Cuiusmodi fuisse illos accepimus, quos paulo ante ex tam magna copia tam paucos commemorauimus. Ex quibus præcipue Carolus, cuius tu & nominis, & Imperii hæreditatem, tot sæculis post affecutus es, tanta & pietate erga Deum, & benignitate aduersus omnes, qui ad eum adibant, fuisse dicitur: ut cum plurima, & maxima bella Christianæ propagandæ religionis causa confecisset, plures gentes tamen propter humanitatem eius, quam propter potentiam ad fidem Christi confiterentur se esse con-

^{sup}
D 2 uersas.

DE PACE

uersas. Hunc igitur cum habeas specimen, & exem-
 plum uitæ bene dirigendæ, immitis tu, & inhumanus
 esse possis? res ipsa indicauit, cuiusmodi fueris: qui
 cum intulisses Galliæ bellum, lōgeq; introrsum cum
 tuis copiis in eam penetraffes, ad Lutetiæ Parisiorum
 mœnia propius accessiffes, magnis iam rebus gestis,
 compluribus munitissimis oppidis, ui, & oppugnan-
 do in tuam ditionem redactis: quanquam Francisco
 Rege singulari uirtute, ac uigilantia omnibus tuis co-
 natibus obsistente: tamen cum à spe uictoriæ tua opi-
 nio non abhorreret, ut primum tuæ existimationi fa-
 tisfactum esse duxisti, sensistiq; tempora Reip. hoc po-
 stulare, nec communem Christianarum gentium sa-
 lutem uestra huiusmodi diffidia amplius perferre pos-
 se: præter omnium mortalium spem, & expectatio-
 nem repente pacem cum ipso Rege Galliæ, hoc cupi-
 ente, & optante complexus es, atque eiusmodi pa-
 cem, per quam non uetus modo uestræ necessitudi-
 nis sanctitas renouata, sed magnis accessionibus cha-
 ritatis, & amicitiae aucta etiam, & cumulata esse uidea-
 tur. Quid ergo est? cur hoc idem cum posses, de prin-
 cipio non egisti? cur tantum moræ, tantum formidi-
 nis, tantum malorum, & periculorum intercedere
 passus es? in quo nobis orantibus, & supplicantibus,
 ut paullo ante dicebam, uidebaris esse durior? Pate-
 re, obsecro, Cæsar, tuas à me cogitationes explicari;
 & illa alta, magnificaq; consilia, quæ in intimo pecto-
 re admirabilis tuæ prudentiæ inuolucris tegebas, in
 lucem proferri: si tamen hoc, nec tua Maiestate indi-
 gnum, & fructuosum cognitu omnibus futurum est.
 Neque enim est ulla disciplina præstantior, quàm ea,
 quæ

quæ ex optimi Principis consiliis, atque factis, non solum homines ingeniosos, & bonos; sed ipsum etiã uulgus erudit. Ita igitur cogitasti. Cum talis esses, tantusq; Princeps, & is, qui amplissimam tuam potestatem magnitudine semper animi, fortunam uirtute superauisses; non posse dissimulari abs te, inultumq; dimitti, quòd te Rex Gallia inexpectato bello laceffisset. Quid ergo? ita ne uindicare parabas, ut sanguinem, & uitam Regis necessarii peteres? Minime. An illo expulso è Regno, & exturbato, ex calamitate illius crescere, & opes tuas amplificare uolebas? ne hoc quidem tibi fuit tum propositum. Quæ igitur caussa, quæ ratio tam implacabilis dissidii? Cũ Paulus Summus Pontifex, missis ex nostro amplissimo sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium ordine ad te, & ad Gallia Regem Legatis, ad pacem utrunque uestrum hortaretur, egoq; tum Legatus ad Christianissimum Regem uenissem; animumq; illius ardentem dolore, & iracundia, quòd legatos suos contra fas (ut aiebat) à tuis interfectos querebatur; eamq; sibi causam capiendorũ armorum fuisse dicebat, multis tum rationibus ad studium pacis, concordiaque flexissem, in quo (dicam enim libere id quod cognoui, & sensi; nec laudibus maximi Regis fidei meæ testimonium denegabo) uisus est mihi Rex ille, ad summum, excellensq; ingenium, quo largiter à Deo, & à natura est instructus; summamq; omnium rerum peritiam, quæ res uel ad pacem, uel ad bellum pertineant, tantam adiunctam habere probitatem animi, & erga Deum ueram, certamq; religionem, ut dignissimus illo regali fastigio, indignus ea dissensione, & discor-

monibus

discor-

D E P A C O E

discordia, quæ illi tecum erat, ab omnibus iudican-
 dus esse uideretur. Cum igitur ex una parte res essent
 paratæ, Rexq; Franciscus pacem æquis conditioni-
 bus non respueret; quarum ille conditionum Ponti-
 ficem Maximum arbitrum, & moderatorem esse uo-
 lebat. Cum ego proximo hoc tuo in Italiam aduen-
 tu, tecum congressus multis uerbis suasiffem pacem,
 cunctiq; te rogarem, omnesq; & noti, & ignoti hoc
 idem à te peterent, nec uideretur Christiana Resp.
 multis iam lacerata, atque uexata immanium Turca-
 rum non uictoriis, sed furtis, sine pace uestrum, &
 sine concordia posse consistere: tu tamen cœlans ani-
 mi tui arcanum, quod salutare, & commodum Reip.
 Christianæ ipse intelligebas, te inexorabilem cunctis
 præbuiſti, omnium preces tua perseuerantia oppres-
 ſiſti: confirmasti te bello iniurias tuas persequutu-
 rum: conſtaſti maximos exercitus: armaſti, cum om-
 nes tuam lenitatem requirerent, illamq; uim, & im-
 petum incitati animi tui in Turcas potius conuerti
 omnibus uotis exposcerent. Quem tamen eundem
 finem tu te tibi, neque alium prorsus ullum, in illis
 armis, delectibus, totoq; apparatu bellico proposue-
 ras. Non enim bellum contra Galliam suscipiebas,
 ut nationem illam & religiosam, & fortem funditus
 euerteres: nec iniurias tuas eo animo ultum ibas,
 quòd eas lui sanguine Christianorū uelles, sed quòd
 nominis tui ingens, amplaq; auctoritas, si contume-
 liam lento animo tulisses, in suspicionem humilis, &
 demissi animi uidebatur uētura, præsertim apud Tur-
 cas, qui insolentiam, & iactationem, fructum altio-
 ris fortunæ cum statuunt, hanc Christianam mansue-
 tudinem,

tudinem, & placabilitatem, sanctaꝫ; cœlestis doctrinæ præcepta non agnoscunt. Quò igitur aduersus illos terribilior exurges, cum hi uiderent te nulli ui, nullo periculo, nullo labore frangi, quominus hostes tuos omni ope, omniꝫ; opera, nuiquam defesso animo persequerere: iccirco Gallica expeditio à te suscepta est, non oblectamentum iracundiæ tuæ, sed firmamentum auctoritatis. Atque hoc illud fuit, in quo nos decepti sumus. Non enim tam profunde nostras cogitationes immerfimus, uicitꝫ; in eo sapientia tua omnium hominum prudentiam. Nam nos pace tibi cum Christianissimo Rege facta, cum paratas copias, & omnia tibi prompta ad gerendum barbaricum bellum putaremus; tu altiore multo, abstrusiorẽ; consilio, si studium tuum ad nostra studia tunc accommodasses, maximum tibi belli instrumentum, & certissimum pignus futuræ uictoriæ, auctoritatem abfuturam intelligebas. quæ certe iacturam, & diminutionem esset passa, nisi & nos, & cæteri, & omnes denique homines, ipsiꝫ; in primis Turcæ ipso euentu rerum docti perspexissent, quicumque tuam dignitatem uiolasset armis, eum de Imperio tecum etiam, & de uita esse dimicaturum. Hanc auctoritatem igitur, ut ea tibi salua, incolumisꝫ; maneret, omni cum cura prouidisti, præsidiumꝫ; fortissimum tuæ potentiæ, dignitatis, nominis, afferre aduersus hostes tecum uoluisti, sine quo nimirum res magnæ geri non possunt. Nam quod ad potentiam attinet, imperas tu quidem, Cæsar, fortissimis nationibus; eãꝫ; prouinciæ, quæ semper uiris, semper animis excellere iudicatæ sunt, Italia, Germania, Hispania,

nia,

D E T P A A C O E

nia, tibi dicto sunt audientes: ex quibus, legere optimos milites, quales ex reliquo orbe terrarum non queant legi; magnosq; ex illis cōficere exercitus: posse fidere classibus maria: suppeditare copias, & com-
meatus possis. Veruntamen ista, nisi tua insigni prudentia, consilioq; regerentur, ad bellum per se gerendum non satis essent idonea. Animo enim opus est, qui ista omnia gubernet, & prouido, & sapiente: quibus tanquam acies gladio, sic ille copiis, apparatus, potentia, uim, & acumen præbeat. Ipsa uero prudentia, quæ ferme domina est rerum cæterarum, & quæ, in quocunque Principe inest, magnum eum bonis, & uenerabilem, formidolosum impiis, atque improbis hominibus facit, quam in te Imperator summam esse, & singularem cernimus: quæ quamuis polleat uehementer in omnibus rebus humanis, tamen ea quoque interdum fortunæ subiecta est: præsertim si cum audacia, & cum temeritate ueniat in certamen: quod sæpe in bellis accidere est necesse. Non enim raro consideratissimi Duces à proiectis, & præcipitibus superati sunt: & sunt tamen aliquando apud Barbaros nonnulli, qui sua consilia nostris consiliis opponant. At uero hæc, de qua iamdudum loquor, auctoritas, quæ est de tuo insuperabili ingenio, deq; infatigabili in contentionibus omnibus animi uirtute, cum magna celebritate, & gloria tui nominis, in animis gentium impressa opinio: hæc inquam ea ipsa est, quæ te non inuictum solū, sed terribilem ultro hostibus tuis facit. Quam tu, quòd reiectis superiore anno precibus omnium nostrum, consiliis, quæ de ineunda cum Rege Gallorum concordia tibi proponebantur, posthabitis,

bitis, gerēdo potius bello seruare tibi incolumem uoluiſti: nimirum plurimum uidisti, maximumq; propugnaculum tuæ existimationis, & nominis non restituiſti modo, uerum etiam auctius, munitiusq; reddidisti: cum tamen iniurias tunc acceptas commemorans, & obstinatum animum ulciscendi præ te ferens, asperitatem quidem in uerbis, atque uultu, in animo autem clementiam, & humanitatem contines. Quæ fuit ratio (ut antea dixi) nobis quidem omnibus abscondita; sed tua, Cæsar, insigni prudentia uehementer digna. Non enim Christianam Remp. tum lædebas, ut quibusdam forsitan uidebare: sed pro Christianæ Reip. salute seueritatē illam suscipiebas, maiorisq; boni nobis conciliandi causa, minus illud bonum tunc negligendum ducebas. Et re uera nullum neque maius, neque præstantius Christianæ Reip. potest esse bonum, quàm auctoritas, Cæsar, tua, & iste animus, quo eam totam conferre in barbarorum excidium, & restitutionem ueteris Christianæ dignitatis uis. In quo opere profecto sancto, & memorabili, illa tibi futura est & acies fortissima, & exercitus robustissimus: non enim unquam auctoritas uincitur, nec potest ipsa non uincere: quippe quæ uel procul, & antequam ueniat aduersariis in conspectum, ipso rumore, & nomine bella conficere soleat, eripiatq; hostibus, & consilium, & audaciam: ut cū audierint armatum incedere contra se Principem illum, Imperatoremq; quem sciant eo animo bella suscipere solere, ut aut uincere ipse, aut omnia abicere sit paratus, qui sibi confidat, nullum noscat timorem, concedat omnino nemini, fortunæ ipsi non succumbat:

E succumbat:

D E P A C E

succumbat : atque hæc non temeritate , nec subita concitatione , sed consilio agat , sed sapientia , sed magnitudine animi , sed longo usu bellorum ; in quibus iamdiu sit multis , & magnis non expeditionibus solum , sed uictoriis eruditus : concidant statim animis , orbentur omni consilio , casumq; propinqui periculi sui uehementius perhorrescant . quos nunc sic affectos tua ingens auctoritas , paxq; cum Christianissimo Rege , maximo in nos omnes Dei omnipotentis dono opportunissime facta , sine ulla dubitatione tibi traditura est . Quamobrem , Carole Cæsar , honore Imperator , uirtute uere Auguste , cogita iã ipse , quid tibi deinceps sit ad deliberandum , & ad gerendum reliquum . Quanquam quid , ut cogites , peto ? quid , ut ipse tuimet memor sis , postulo ? quod enim unquam consilium magnanimum , & sapiens à tua ista mente , & cogitatione abfuit ? Sed , quo soleimus modo agere erga Deum , cum quid illum iam certum quid facturus sit , cum precibus tamẽ , & cum pietate poscimus : eodem agimus erga te ; ut Christianæ Reip. extremo illius tempore , & extrema pene iam necessitate subuenias . Hoc quidem ipse ita cogitas : hoc habes propositum tibi , & constitutum : sed tamen liceat nobis implorare opem tuam : liceat commiserari dolores nostros : liceat uulnera detegere , quibus afflicta Resp. & lacerata est , nec tu ea non cernis : quis enim acutius , aut altiore ex loco prospicit ? sed ideo nos illa proferimus , quò tu in illis uindicandis non solum spectes gloriam tuam , sed salutem etiam nostram . Et sane in primis sanctæ religionis causa à te est suscipienda . Cuius moderator quidem , & arbiter Romanus Pontifex

Pontifex esse debet: qui suam huiusce rei uoluntatem etiam bis indicto Christiani nominis concilio est testatus. Sed sine præsentis ope tua; sicut re ipsa perspicuum factum est; nihil neque institui recte, nec ad optatum exitum perducere potest. Huc igitur in primis animum tuum conferas, & conuertas oportet. Hæc enim causa ea est, in qua (nisi fallor) cæteræ quoque causæ, quæ ad communem salutem constituendam pertineant, cunctæ complexæ sunt. Auerfo enim à nobis propter istas innumerabiles dissensiones, quas ipsi de eius religione habemus, sine dubio Deo, qui unitatem, & consensum præcipue à nobis postulat, quid potest reliquis in rebus remanere apud nos inuiolati, atque sancti? Itaque & ius iamdudum è moribus hominum exterminatum est, & iniuria introducta, tantisq; simulationibus, odiis, suspicionibus, infidiis referta hominum uita est; ut eius bene agenda, neque ordinem rectum iam, nec modum inueniamus. Quæ tot mala, tamq; perniciofa, si uere, & sancte, sublati dissidiis religio constituta fuerit: neque ea solum in rectis opinionibus, sed in bonis etiam, ac ipsorum præsertim sacerdotum moribus restituta, sicut nebulae oriente, & se attollente Sole; sic illa Deo ad nos clementibus iam oculis, & serena fronte conuerso, è uestigio dissipabuntur: lucemq; nobis integram, puramq; relinquent. Neque tu hoc tibi, Cæsar, graue, & laboriosum esse duxeris. non est in disceptationibus, nec in controuersia res. omnia, quæ ad ueram Dei notionem, uerumq; cultum pertinent (in quo quidè uno nostra perpetuo salus sita est) singulari maiorum nostrorum prouidentia, & Spiritus sancti ope, qui

D E P A C E

semper Catholicæ Ecclesiæ comes affixus est, sanctif-
 fimis decretis, & præclarissimis legibus sancita sunt.
 Qua ratione nos gerere; quod cæteris exemplum ui-
 tæ bene, pieq; agenda in nobis ipsis constituere: quæ
 de Deo sentire, & de diuinis rebus debeamus, iam-
 diu est nobis diligentissime, ordinatissimeq; præscri-
 ptum. A qua præscriptione qui discesserunt, miseri
 ipsi, & errantes; qui agunt, & egerunt, ut alii quoque
 discederent, ii impii merito semper sunt iudicati. Nec
 uero in altercationibus, & diffidiis inter nos: sed in
 charitate, mutuaq; benignitate, beata à Deo nobis,
 & immortalis uita est proposita. Quamobrem non
 erit hic tibi mora, aut durior aliquis labor, quomi-
 nus recipere te celeriter ad bellicas curas, & cogita-
 tiones possis. moribus enim correctis, sacerdotumq;
 potissimum, quorum inuidia tot, & tam perniciosæ
 ubique turbæ, grauesq; seditiones cõcitatae sunt, om-
 nibus fiet iam discordiis, & dissensionibus finis. Et
 qui nunc acerbe admodum, & pertinaciter inter se
 dissident, in unum omnes sensum, unamq; uolunta-
 tem conspirabunt: quæ uera, & propria Christiani
 nominis est professio. Atque huius quidem præclari
 muneris, atque operis Romanus Pontifex, Dux, &
 auctor futurus est, pro loco, pro honore, pro ea au-
 ctoritate, qua ab Deo est munitus: sed tua quoque
 uoluntas, Cæsar, & Gallia Regis tecum, uehemen-
 ter est necessaria. Vos enim duo ii estis, quos populo
 suo Deus gubernatores potissimum præfecerit, & ma-
 gistros: quorum Imperium, & auctoritatem reliquus
 Christianus orbis sequatur: qui antea uestris discor-
 diis omnia perturbabatis, iidem nunc in unam senten-
 tiam,

etiam, unamq; mentem conuenientes, tanquam conflatas amore, & beneuolentia animis, omnia estis in integrum restituri. Quid enim aliud nobis polliceri debemus ex ea pace, quã sine dubio inter uos, non ulla humani consilii, aut ingenii uis, sed Deus ipse, ipsemet (inquam) Deus, salua dignitate utriusque uestrum constituit? Non ne futuram eam, & stabilem, & sanctam? non ne communia uobis consilia, quæ ad salutem publicam spectent, omnia futura? non ne animos uestros (quod ex magnis inimicitiis accidere interdum solet) sicut paulo ante uehementibus odiis arserunt, sic pari nunc beneuolentia, & mutua flagraturos? præsertim cum Deus ipse suum opus, suum munus, suum beneficium tutaturus sit: cum nihil posthac uideatur posse accidere, sublatis omnium iã discordiarum causis, quod dissidium inter uos, contentionemue commoueat: cum tu, Cæsar, planissime, & certissime, pro tua admirabili prudentia iam intelligas, quanto expeditior, & paratior ad illa tua magna consilia exequenda futurus sis, adiuncto tibi per amicitiam Christianissimo Rege, quàm eodem odiis, diffensionibusq; seiuncto. Qui quidem Rex iam etiam tecum, non uno, neque simplici, sed pluribus uinculis copulatus sit, affinitatis olim, nunc etiam & fœderis, & * sententiæ, & fortunæ ornatissimus Rex. Credas mihi hoc uelim, Cæsar, non enim res mihi ignotas profero, quæ etiam si dubiæ essent, nequaquam à me pro certis commemorarentur, sed uidi, sed interfui, cum mansissem apud illum aliquot mensibus Pontificis Maximi, sedisq; Apostolicæ Legatus, hancq; ipsam pacis actionem cum eo, causamq; tractassem.

D E P A C E

Et affem : ille (inquam) mihi mirabiliter satisfaciebat. Habebat tum arma in manibus, uiribus suis fidebat, dolore aduersus te, & ira commouebatur : & tantam sibi à tuis contumeliam in suis Legatis impositam nimis te tulisse negligenter conquerebatur. Sed tamen in illo tanto motu animi, & iracundiæ impetu sæpe flectebatur ad audienda consilia pacis. quam ego natuſ opportunitatem Regis rationi magis, quàm iracundiæ obſequentis, illius ingenio, & prudentia fretus, qua is insigni, & magna præditus est, eò tandem rem deduxi, ut ille ad extremum Pontificem Maximum arbitrum iuris sui, & omnium cõtrouersiarum, quæ inter uos essent, iudicem, moderatoremq. statueret. Sed in quo intimos eius sensus ego penitus perspexi, posteaquam non alienus à studio pacis esse cœpit, quotiens ille inter suos de hac pace uestra, & reconciliatione pristinæ gratiæ loquebatur? quotiens cum gemitu declarabat dolorem suum? quòd uestris illis tunc odiis, ac discordiis in ultimum discrimen Christianæ Reip. prope salus decidisset? quantopere optabat, quàm cupiebat? ut ambo unà animis, studiisque coniuncti, depositis inimicitiiis ea gereretis, eaq; susciperetis, quæ essent uestræ quidem potètiæ, uestraq; fortunæ : sed multo magis honori, nomini, uirtutiq; consentanea? quod nunc ita factum esse, uestrasq; mentes in unum, & eundem sensum amore, concordiaq; coisse, & Deo immortalis meritis, debitasq; gratias, quantæcunque à nobis concipi, & haberi possunt, & tibi, Imperator, maximas habemus. Et si enim Christianissimi Regis grata nobis uoluntas, & animus est probatissimus, tibi tamen, in quo pacis,

&

& belli summum arbitrium inest, quòd saluos fore nos possumus iam sperare, referimus acceptum. Tuū est enim hoc beneficium, Cæsar; tua gratificatio; tuū munus; tua in omnes populos nunc se clementia, & bonitas effudit, quòd pacem Christianis populis præbuiſti; qua non solum homines, sed nimirum pecudes, agri, tecta; lætantur. Quòd si tu is esses, qui magnitudinem animi tui spaciis, regionibus; terrarum; nominis autem famam tempore aliquo definireſ: & satis multa iam extarent tuarum clarissimarum uirtutum indicia, ac monumenta; & nos hoc singulari pacis per te nobis redditæ beneficio contenti in præsentia essemus. Communi enim salute (quod ad tollendas intestinas discordias attinet) per tuam nobis prouidentiam constituta, cætera, quæ supersunt grauiam illa quidem, atque magna, Dei consilio, & futurarum rerum euentibus permetteremus. Sed cum nec tuus iste animus plenus maximarū, pulcherrimarum; cogitationum conuiuſcere possit, donec ea pariat, quæ iandudum illi concepta sunt; & tua semper consilia spectauerint æternitatem, nec se ullis temporum curricula circumſcribi passa sint quid est iam, Cæsar, quòd tibi aut nos subiicere, aut tu per te capere, & deliberare possis? nisi illud extremum tanquam portum, ut nauigationum, sic præteritarum actionū omnium tuarum, ut terminos Imperii, & magnitudinis tuæ, in Turcarum, & Barbarorum regna promoueas, quæ ita tuæ uirtuti, atque laudi cum nostra omnium spe, tum Dei prouidentia reseruata sunt, ut de diuino consilio certe dubitare non debeamus. Quid enim fuit, quòd illius Imperio, & ditione inter nostrarum

D E P A C E

casiones discordiarum iis aliquot iam annis uehemēter auctis, Aegypto ad ueteres eorum opes adiuncta, Persis summotis, Illyrio uexato, uictis, & subactis Pannoniorum fortissimis gentibus, quas armis suis saepenumero ante lacefsitas, neque unquam domitas, audita pridem Cæsar, te pene inspectante, ante oculos (inquam) propemodum tuos, non uictoria, sed occasione oppressere: cum tu Gallico bello distractus, auxilium illis tum ferre non posses: quid fuit (inquam) quòd, cum insultarent maxime, cum urgerent, cum in nostro sanguine, nostrisq; cladibus insolentius quotidie, crudeliusq; debaccharentur, repente ista pax ex tantis, & tam implacabilibus inter uos (ut uidebatur) iris, atque discordiis, uelut insperatum de coelo lumen effulsit? Non ne hoc nobis indicauit Deus, & uoce sua quasi testatus est, uelle se eum, quem haberemus præcipuum tutorem, & defenso-rem Christiani nominis, à cæteris curis, & impedimen- tis liberare: quò is neruos omnes suos consilii, forti- tudinis, potentiae, quibus firmissimis, & ualidissimis est præditus, in hanc unam cogitationem, & studium belli sanctissimi apparandi conferret? quid? in eodem te ab eodem Deo, nonne diuina illius mens, & uolun- tas nobis est significata? cum Christianis nationibus in plures principatus, uariaq; imperia, non tam diui- sis paulo ante, quàm fractis, ob eamq; causam armis Turcarum resistere minus ualentibus, quòd in diffi- cili consensione nostrorum illi uno capite, & uno cor- pore consentientes ingruebant; tu ab eo ipse Deo in tam multis sæculis unus electus es, in quem mirabili quadam, non fortuna, sed eiusdem Dei prouidentia, inopinatis

inopinatis quidem certe rerum euentibus , totum Christiani nominis robur conflueret : qui summum honoris in toto orbe principatum pari fortuna , & sapientia cumulares . Ergo hæc tibi , Cæsar, omnia ab Deo , & data , & parata sunt , quò aditus apertos ad res gerendas maximas haberes. nunc tibi uideudum ipsi , quid sis factururus . Pendemus de te omnes , qui Remp. saluam esse cupimus . ea porro nequit esse salua , nisi Turcarum uires , animiq; frangantur : eæque ab illis prouinciæ repetantur , quas ipsi in amentibus discordiis nostris insidioso bellandi genere nobis surripuerunt . Tu unus ad hanc actionem tantam , tamq; præclaram idoneus nobis diuinitus donatus es . Non ne ergo tua mens cum Dei omnipotentis iudicio de te , menteq; consentiet ? Omnibus es munitus , Cæsar , instructusq; præfidiis , quæ ad huiusmodi bellum agrediendum sunt requisita ; uirtute , potentia , confitio , magnitudine animi , scientia bellorum gerendorum ; quodq; ad rem non mediocriter pertinet , plurimumq; in bellis ualere solet , militum etiam robore , & fortissimorum Ducum usu bellandi , ac peritia . Nanque hoc tamen commodi ex præteritis Reip. malis , incommodisq; accepimus , quòd maximas manus ueteranorum militum paratas , armatasq; habituri sumus . Quid res gestæ tuæ ? quid tuus inuictus animus , neque solum aduersus homines , sed contra ipsam etiam fortunam , omnesq; casus humanos immobilis , atque constans , quem satis hostes nostri spectatum habent , & cognitum ? quid nomen ? quid auctoritas ? quæ tanta in te est , quanta in omnibus Romanis principibus , post Theodosium , Carolumq; non

F fuit ?

D E P A C E

fuit? parum ne illa hostes tuos deterritura est? qui quidem paulo ante, dum tu Gallico bello implicatus tenerere, tot, & tam magna timoris de te sui signa dederunt: maximas classes in auxilium Galliae miserunt: Italiae, & Siciliae littora depopulati sunt: Vienne urbem tuam, fratrisque tui clarissimi Regis ditionis obsidione tentauerunt: omniaque contenderunt, quod tu domesticis malis diutissime impeditus, ad eos accedere, & conuertere in illos iusta arma ne posses. qui te, cum tantopere formidauerint impeditum; solutum, & liberum quonam modo pertimescent? An tu praeter pietatem etiam tuam, praeterque munus officii, quod Christianae Reip. Imperator praefectus sustines, etiam illorum in te ipsum iniuriis, grauibusque contumeliis non commouebere? non illas ultum ibis, cum is sis, qui omnia potius perpetienda tibi ducas, quam ullam uel minimam uiolationem dignitatis tuae? Tu, qui paulo ante duobus potentissimis principibus resistebas unus, cum & Gallico bello occuparere, & eodem tempore Turcarum arma propulsaes; nunc Rege Christianissimo, nouo tibi foedere, nouaque beneuolentia adiuncto, qui antea quoque fraterna tecum erat necessitudine coniunctus; nouis, magnis, firmisque auxiliis auctus; cum, quod contra te erat, id pro te futurum sit, teque uehementer adiuuet, quod antea impediabat, nudatas spe, & occasione, qua maxime nitebantur, Turcarum uires non despicias? At permagno illi ualent equitatu, quo in genere tamen numero se magis, quam uirtute ostentant. non est omnino hoc de iis singillatim rebus loquendi, & deliberandi tempus, quod tum erit aptius, cum iam de-

creto

creto bello, aut uoluntate tua, Imperator, perspecta, ista suis locis uenient in consultationem. Sed tamen, si aliquid est à nobis aduersus hanc famam hostilis equitatus dicendum : nos , tametsi equites etiam nobis sunt , quos uirtus potius commendat, quàm numerus, non ne legiones præterea fortissimas ? non ne exercitatissimos in armis pedites obtinemus ? quibus carent illi , & in queis præcipuum exercitus robur , spesq; , & ratio uictoriæ certior locata est ? Nam equitibus quidem multæ formidines, & moræ, multaque obiici impedimenta possunt, uel locorum , uel fluminum, uel militarium etiam inuentorum : quibus freti quondam populi Romani Duces, nunquam sibi ad committendum prælium cum hostibus , multitudinem equitum impedimento fore putauerunt : propterea quòd facile perturbatur id copiarum genus . Nam equi nec ratione doceri, nec cohortationibus confirmari queunt, ut stent, ut confidant, ut ne ulla obiecta formidine terreantur . Quibus de rebus memoria teneo tecum me , Imperator, ad Niceam esse locutum: cum ego tibi non nulla huiusmodi commenta , quæ ad turbandos equitatus hostium idonea esse uiderentur, exponerem : tu uero plura multo , & meliora prospiceres. Igitur indociles equi: at peditum ad omnem nutum & paratus animus; & ad uincendum pertinax est contentio . Nam quod ad copias , & comæatus , & ipsas pecunias attinet , quos neruos belli plerique uocauerunt, potest ne esse dubium , quin ciuitates , populi , Christianæq; nationes , quæ in hæc socialia bella inuitissimæ contulerunt, in hanc sanctam, & salutarẽ omnibus expeditionem libentissime sint,

D E P A C E

non tantum opes suas, sed corpora etiam, & liberos collaturæ? quanquam & bellum alere se ipsum solet, si ratione, & ordine sit administratum: quæ quidem ratio, uisq̄, prudentiæ in te, Carole, summa est, si in ullo unquam fuit. Quamobrem aggredere (quæsumus) hoc opus pulcherrimum omnium, & maximum, & cui tua magnitudo par sola est. Non est illud Imperatorium, neque Regium (crede mihi) contentum esse terminis, qui à maioribus sint relictis, aut proferre eos conari ex sociorum detrimentis, atque damnis: quasi parum multa sint in conspectu Barbarorum regna, parum multæ hostiles nationes, in quas iure inuadi, & quibus sancte bellum inferri possit: nec rursus dedere se deliciis, & uoluptatibus, id quod à tua mente semper abhorruit. Non enim tu ad ocium, nec ad defidiã, sed ad maximas semper res agendas, & cogitandas natus es. nullam habet maiorem iucunditatem uirtus, quàm recordationem rerum pulcherrime gestarum. nihil est animis præstantibus propositum ad diligendum, & cupiendum, quod finitum terminis sit. Caduca sunt enim, & fallacia omnia, quæ spatiis circumscribuntur: animos magnos, atque excelsos in immensum excurrere oportet, cum regionum, terrarumq̄; Imperio, tum famæ, & laudis in posteritate, tum uero beatitudinis, & felicitatis in illo coelesti, & immortali regno *. Ad quod Regnum, Carole Cæsar, & ad quæ præmia, decreta, & constituta illis, qui diuinis muneribus ornati, ad eiusdem Dei gloriam cohonestandam usi sunt, tua te laus, atque uirtus, tuus iste longe præstans, atque eximius animus, tua natura, tua summa prudentia, tuus ille

notus

notus immortalitatis amor, tuæ curæ, tui tot antea a te suscepti pro Rep. labores, tuus honos, dignitas, estimatio: in primis autem in Deum, & Christianam religionem tua pietas uocat: ipsique nos cuncti (pro omnibus enim loquor) eundem te, & uocamus, & flagitamus: ut, cum gratias tibi tantas pro hoc exoptatæ pacis opportunissimo dono per te nobis concesso, datoq; debeamus, quantas persolvere non possumus, eò te sublatū gloriæ, amplitudinisq; uideamus, quò nostra desideria aspirare uix possint: &, cum omnia omnes egerimus, quæ uel in gratulando tibi, uel in gratias agendo, uel in celebratione tuarum maximarum laudum, uel in commemoratione rerum à te pulcherrime gestarum effici à nobis poterunt; nunquam tamen tam alte officiis ascendere ualeamus, quin diuina tua in nos, & in Christianam Remp. merita semper multo sint superiora.

IOANNIS

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

20

IOANNIS BAPTISTAE
CAMPEGII BONONIENSIS,
MAIORICENSIVM EPISCOPI,
ORATIO DE RELIGIONE TVENDA,

AD CONCILIVM TRIDENTINVM.



QVOD erat optādum, Sanctissimi Pa-
tres; &, quod unum ad teterrimam
pestem, per totum terrarum orbem
diutius peruagatam; nec non ad in-
uidiam nostri ordinis, infamiamque
sedandam maxime pertinebat: id, di-
uino primum consilio, deinde summi Pontificis, sum-
miq; Imperatoris pietate, studio, ac diligentia datū,
atque oblatum uidetur. Etenim pestifer ille serpens,
cuius ueneno iam pridem tota fere Germania infecta
erat, Britannia contabuerat; iam Italiam uersus, cæte-
rasq; Christianas prouincias, & nationes paulatim
alas expanderat, ac bonam populi partem contagio-
so aspectu perniciosoq; afflatu impune tabefecerat.
nos uero, qui populorum pastores, qui Religionis
propugnacula, qui Reipub. Christiana firmamenta,
quique adeo terrarum orbis lumina, splendoresque
habebamur; haec impietati ludibrio fuimus, nec
pietatis offensionem omnem uitauimus. inueterauit
enim iam, & penitus in mentibus hominum insedit
opinio, populis quidem perniciosa, nobis uero ad-
modum periculosa, quæ per uniuersum fere orbem,
omnium Christianorum sermone percrebuit, Episco-
pos,

DE RELIGIONE TVENDA

pos, atque Pastores, non ut Pastores iam, sed ut mercenarios, mercedem tantum spectare, sibi cauere, sua procurare, cætera negligere; irrumpant licet lupi, grassentur per ouile, necent, auferant, dum sibi cautum sit, Pastores nil ultra quærere, ne tantillum quidem oneris subire, si genium uel minima uoluptatis parte sint defraudaturi. quæ sane uoces, aliæq; huiusmodi, utinam Patres, ut falso, & à perditis passim hominibus iactabantur, ita in multorum animis locum ac sedem non obtinuissent. etenim melius illi fortasse suæ salutis consulissent, & nos, tanta apud bonos suspicione, apud improbos uero infamia, minime laborauissemus. dicant enim quæso, quantum temporis prætermissum est, ex quo huiusmodi pestis, ac flamma cœpit animos hominum peruagari, quin summorum Pontificum uigilantia, inuictissimi Imperatoris pietate, pluribus amplissimorum Cardinaliũ Legationibus, Episcoporum labore, ac diligentia, illis loco, ac tempore, pro uiribus non sit occursum; ac, ni optima Principum consilia, grauis semper Reip. fortuna interrupisset, quæ illorum animos à coepto cursu, pulcherrimisq; conatibus retardasset, & ad alias res primo quoque tempore capeffendas reuocasset, profecto talis morbus, & incendium, eorum studio, uirtute, ac procuratione penitus fuisset extinctum. sed non plus illi omnes, quàm una temporum peruersitas, potuere. quarum rerum equidem multa, eaq; præclara testimonia, patres, adducerem; quibus scilicet Pontificibus, quibus temporibus, quibus locis, & quoties fuerit cōgregata synodus, quod unum remedium tãtis malis adhiberi posse uidebatur; quoties

ties

ties rursus, bellis siue gerendis, siue impendentibus, aut aliis quibusdam difficultatibus, eadem interrupta sit; atque impedita: ni uererer orationem meam dilatare, quæ infinita esse posset; atque etiam ut omnem prorsus occasionem in hac parte insolentius uolitandi, ac insultandi uehementius, deuitem: præsertim cum uos ipsi omnibus rerum omnium certissimi, ac locupletissimi testes esse possitis. non enim, ut cætera omittam, semel, aut iterum, sed persæpe è uariis orbis partibus, maximis uestrum, rerumq; uestrarum incommodis, ac periculis conuenistis. Nunc uero ipse summus Pontifex, piissimiq; Imperatoris egregia uoluntas, singularisq; uirtus, quibus uobis laudibus, quibus ue honoribus decorandæ uidentur, qui cum statim restituta synodo, multæ iterum tempestatum species, turbulentissimæque armorum procellæ toto propemodum orbe, terra, mariq; excitatæ confurserent, omnibus præ Christi ecclesia fluctuante pro nihilo habitis, frequentem illam religionis rem tractare, hoc agere, ad hoc tantum negotium incumbere, & uolunt, ut par est, & iubent. quippe eò rabies hæreticorum euasit, ut, nisi illis saltem hoc tempore obuiam iretur, omnia ab eorum prophanis latratibus, uenenatisq; moribus discerpta fuissent, ac lacerata. Venit igitur, Patres, tempus, iam diu nobis expectatū atq; exoptatum, & populo Christiano illuxit aliquando illa dies, de qua in orationis initio dixeram, & in qua, diuino freti præsidio, & horum ipsorum Principum auspiciis, studio, ac diligentia, hostes confundere; scissa dogmata refarcire; periclitanti Ecclesiæ opem ferre; eiusdem auctoritatem prope intermortuam re-

G nouare;

DE RELIGIONE TVENDA

nouare; susceptam nobis maculam falso improborum
 iudicio delere; existimationem nostram iam pridem
 amissam, gentibus, & nationibus reconciliare, & er-
 rantes, lapsos, ac denique fractos, & debilitatos piorū
 animos, monere, erigere, & confirmare plane ualea-
 mus. non est enim amplius, non est metuendum, mi
 hi credite Patres, quin ea, quæ huiusmodi tēporibus,
 rebus omnibus omissis, tam forti, tamq̄; alacri animo
 cœpta sunt; per admirabilem prudentiam, coniun-
 ctosq̄; eorundem Principum animos, & uoluntates,
 ad pulcherrimum exitum non perducantur; præfer-
 tim si illorum studium, & diligentiam, uestra uigilan-
 tia, quemadmodum facitis, perpetua comes, & socia
 consequatur: quæ quo pacto ad has res, & hoc potif-
 simum tempore sit adhibenda, paucis expediam; non
 quò, Patres, id uos ignorare arbitrer: neminem enim
 in hoc grauissimo, pariter & sanctissimo confessu ad se
 intelligo, cuius summam prudentiam, & coniunctā
 cum pietate sapientiam, non admirer: sed quoniam
 mihi id oneris impositum est, ut ex hoc loco apud or-
 natissimos, eosdemq̄; doctissimos uiros, uerba faciam.
 quod etsi lōge uires meas exuperare sentio, tum pro-
 pter rei magnitudinem, & huius auctoritatem loci,
 tum etiam propter imbecillitatem ingenii, & nullam
 prorsus ad agendum facultatem, cum mihi ipsi sem-
 per persuaserim, nihil huc, nisi perfectum ingenio, at-
 que elaboratum industria afferri oportere; tamen, ne
 id quod semel suscepi, propter animi infirmitatem ui-
 dear omnino deponere, expectationemq̄; uestrā, ora-
 tione mea diutius suspensam tenere; de hac eadem ui-
 gilantia, pauca & breuiter dicere aggrediar: cum nul-
 lum

lum aliud argumentum in mentem uenire potuerit, quod, pro loci, temporis, personarumque dignitate, commodius à me possit tractari. quæ dum persequor, quæso uos, amplissimi Patres, pro humanitate uestra, quæ summa est, ut, quæadmodum hætenus fecistis, me benigne attenteque audiatis. Equidem, Patres, cū uniuersam rem animo complector, onusque nostrum mecum diligentius ipse considero; non eadem mihi uidetur nostra, ac cæterorum Principum ratio. quam uis enim unaquæque potestas, ut ait Apostolus, à Deo fit constituta; non tamen omnes in eadem arena uersamur. Illi enim terrena, nos cœlestia; illi fluxas, & momentaneas, nos stabiles, & sempiternas opes; illi corporum, nos animorum salutem; illi denique parum fortasse, nos maxime necessaria populis procuramus. Elaborandum est igitur, Patres, & in eo omnes industriæ nostræ nerui sunt adhibendi, quod in primis præstare debemus, ut, quâto uberiora, splêdidiora, Deoque Opt. Max. gratiora cæteris omnibus sunt hæc, tanto maiori cum diligentia, hoc tempore, hoc inquã tempore peropportuno, & maxime omnium necessario à nobis rite, atque integre administrantur. etenim, si illa iis artibus facile retinentur, quibus initio parta sunt; sunt autem parta multorum hominum studiis, & laboribus, quid de his existimandum est, Patres, quæ unius tantum & Dei, & hominis, nocturnis, diurnisque uigiliis, immensis sudoribus, & cruciatibus, atque adeo preciosissimo sanguine de sæuissimi hostis manibus sunt extorta? illud præterea, Patres, in mentem uenit, Principes ipsos partis opibus, & Imperiis, & cæsis, ac fugatis hostibus, omnia pacata, omnia tranquilla

DE RELIGIONE TVENDA

possidere; mœnibus præterea præfidiisq; circummu-
 nitos, neminem amplius formidare; nobis uero infir-
 mis atq; imbecillis, & cum hoste munitissimo, ac sem-
 piterno dimicantibus, semper in stationibus, in excu-
 biis, in armis, in laboribus, degendum est, ne leo ille
 rugiens, qui semper circuit, semper explorat, semper
 aliqua in incautos excogitat stratagemata, ouem ali-
 quam, non auro, neque argento, sed, ut paulo ante di-
 cebam, preciosissimo sanguine redemptam, deuoret.
 Illud etiam, Patres, præ oculis semper habendum cen-
 seo, nos esse à Deo constitutos, terræ sale, mundi
 lumina, ciuitates supra montes positas; atque in om-
 nium conspectu, in omnium ore uersari: abolito sale,
 omnia insipida remanere; extincta luce, statim tene-
 bras oboriri; ruente ciuitate, cæteras opes in eandem
 ruinam trahi. patiemur igitur, Patres, Dei Ecclesiam,
 Christi sponsam, Spiritus sancti domicilium, Apосто-
 lorum ædificium, communem matrem tanto excidio
 oscitantia nostra, desidiaq; corruere? absit, Patres, ut
 talentum illud, nostræ fidei abeunte domino commif-
 sum, terra inutiliter abditum, nostra pereat fœcordia;
 ne redeunte domino, & rationem ab oscitantibus ex-
 poscente, in exteriores tenebras coniciamur. Ethni-
 cus ille poeta, Patres, dum uniuersæ Græciæ Impera-
 torem pro una muliere, & eadem adultera bellum ge-
 rentem inducit, figmentis quibusdam admonet illi,
 cuius consilio omnia nituntur, & cui totius exercitus
 salus commissa est, semper esse uigilandum. nos autē,
 quibus uerum illud, atque diuinum oraculum perpe-
 tuam pollicetur beatitudinem, si, ut frugi seruos de-
 cet, etsi prima, etsi secunda uigilia uenerit, dominus
 inue-

inue-

inuenerit uigilantes; his temporibus, tantoq; bello pro aris, & focus gerendo dormiemus? aut muliercularum more, compressis manibus totum diem sedentes otiamur? minime, Patres, minime inquam; at illud potius meminerimus hunc illum nobis peroptatum illuxisse diem, quo, si uiri erimus, & plane uiri, sicut esse debemus, sublata humeris cruce, Christi sanguine insigniti, fidei lorica induti, ac sanæ doctrinæ gladio præcincti, eius Ecclesiæ nos acerrimos propugnatores exhibeamus, ut demum uictis, ac spoliatis hostibus, non Iouis, sed ueri Dei templa, non Romana, sed coelestia capitolia triumphantes ascendere ualeamus. Nitendum est etiam, Patres, in quo uigilandum, laborandum, sudandum omnino nobis est, si uigilantissimi Pastoris officium, atque partes omnes sustinere uolumus; ut patientiam perseuerantiam, animi magnitudinem, & charitatem supremi Pastoris, qui se nobis, tanquam speciosissimum exemplar semper, & in singulis quibusque actionibus imitandum proposuit, quoad eius fieri possit, imitemur. quod etsi arduum, & longe omnium difficillimum est, tamen in rebus præclarissimis, & humanas uires excedentibus prima sequendo, semper honestissimum fuit, & habitum est, in secundis, tertiisque consistere; id, quod nobis, eo præsertim auspice, & adiutore poterit aliqua ex parte contingere; si, pro Dei gloria, & populorum salute conseruanda, ipsius uestigiis insistentes, uitam ipsam, & sanguinem, nedum cætera omnia, cum usus uenerit, profundere non dubitauerimus; si, præsertim hoc tempore, rebus omnibus confusis, ac perturbatis, & uentis quibusdā reflantibus,

animo

DE RELIGIONE TVENDA

animo non defecerimus, nec à recto cursu deflexerimus; sed in Christi causa defendenda, quantum in nobis fuerit, perstiterimus. quam si per ipsorum temporum, uel hominum quorundam malitiam tueri nõ dabitur; opprimi nos onere officii potius eligamus, quàm tam piam, tam sanctam, tam salutarem, tam illustrem prouinciam sustinendam nobis impositam, & alias quidem sæpe sustentatam, aut propter perfidiam abiicere, aut propter ignauiam deserere. si demum nostra consilia, & cogitationes omnes ad augendam religionem, moresq; instaurandos retulerimus; & in mediis tenebris, fluctibus, ac tempestatibus in Christum semper, tanquam in cynosuram intuiti fuerimus; quicquid deinde euenerit, forti, constantiq; animo toleraturi, & nobiscum præclarissime actum existimaturi, si digni habiti fuerimus pro Christi gloria, probra & contumelias pati. hæc est illa patientia, quam ueri imitatores Christi; tanquam munitissimum clypeum cõtra quoscunque mundi ictus obiicere consueuerunt; hæc illa perseuerantia, quæ à nobis exigitur, & quam rerum præsens status, & temporum ratio maxime requirit; hæc animi altitudo est, & tranquillitas, quæ in Christianis hominibus, & potissimum in Episcopis inesse debet; hæc denique est illa cæterarum omnium uirtutum regina caritas, quã nobis Christus, seruator noster, cœlos ascensurus, ueluti ex testamento reliquit, maximeq; omnium commendauit. Aegrotat, Patres, totum Reip. corpus, & eo genere morbi, ac grauitate, mihi credite, aegrotat, ut, nisi in medicinis faciendis peritia, & diligentia uestra maxime apparuerit, eius salus in maximum periculum,

culum, & extremum pene discrimen sit adducta. Omnia enim, quæ pro illius incolumitate, conseruatione, ac salute, summa præpotentis Dei nostri benignitate illi data, ac donata sunt, ab istis nouis, atque eruditissimis magistris aut omnino tolluntur, aut pro maxime dubiis relinquuntur, ita, ut ueritati uanitas, medicina uenenum, rebus salutaribus, mortifera omnia plane successisse uideantur. tanta (proh dolor) mentibus humanis per eosdem offusa est caligo. & quidem cæteris istorum uitiis, ac peccatis ita moueor, ut ea reprehendenda tantum existimem; hic uero, tanto dolore afficio, ut non queam satis, neque miseram nostrorum temporum condicionem deplorare, neque huius negotii, quod tractamus, rationem, fortunamque miserari. sed omittamus querelas, ne oratio nostra ab eo, quod instituimus, aliena esse uideatur; & illuc reuertamur, ut diligenter attendamus, qua cura, quo studio, quanto animi feruore, in eam provinciam nobis incumbendum sit, in qua præcipue de animabus agitur, nec illis, quidem paucis, sed de his omnibus, quæ in toto terrarum orbe & sunt, & in posterum sunt futuræ; pro quibus Christus ipse Deus, & homo mori, & extrema quæque supplicia pati uoluit. à cuius quidem præsidio, cum ipsæ discedunt; uos proximos habet, uos sibi propugnacula, uos munimenta, uos Duces, uos milites, uos patres, uos pene Deos reputant. Quòd si nos orarent, atque obsecrarent, ut suis incommodis, necessitatibus, saluti denique, in tanta præsertim rerum omnium suarum perturbatione, ne dicam desperatione, cõsuleremus: quid aut illis honeste respondere possemus, aut pro earum

DE RELIGIONE TVENDA

earum miseriis siue tollendis, siue subleuandis face-
 re? nisi ut nos, fidemq; nostram implorent? adsunt,
 & implorant, neque solum implorant, uerum etiam
 uehementer efflagitant. Fingite cogitationibus ue-
 stris, liberae enim sunt cogitationes nostrae, eas hic for-
 didatas adesse; nosq; ueluti suorum ulcerum, atque
 ægritudinum medicos, & curatores peritissimos huc
 adductos intueri, & sæpe, ac sæpius appellare; sum-
 moque, & incredibili pene desiderio teneri, progres-
 sum, atque exitum huius cõcilii uidendi, in quo uno
 totam spem suae salutis, atque incolumitatis positam
 & collocatam esse intelligunt. Possumus, amplissimi
 Patres, illis egregie admodum operam nostram naua-
 re, possumus: omnia enim, quae ad hanc rem specta-
 re uidentur, prompta sunt, & parata; tempus, locus,
 Patrum frequentia, Principum fere omnium unani-
 mis consensus praesto nobis sunt; neque ullum auxi-
 lium aduentitium expectandum amplius, aut expe-
 tendum uidetur. Quòd si à uobis destituantur, id
 quod uix in mentem cuiusquam uenire, aut cadere
 potest; quò infelices confugiant, quem ue portum
 suae miseræ, atque iactatae fortunæ huc, atque illuc flu-
 ctantes, inuenire possint, aut quò se uertant, amplius
 non habent; nullumq; periculum adeo graue inueni-
 ri, aut excogitari poterit, ad quod, tanquam ad sco-
 pulum, eas detrudi aliquando non sit necesse. Qua-
 re, perpetua illa uigilantia, quam ciuitatibus, quibus
 praefecti estis, debetis, facite, Patres, ut hoc potissimũ
 tempore toti terrarum orbi illucescat; perficite, ut,
 quam de uobis Christiani homines conceperunt, nõ
 eos frustretur opinio; mementote etiam, & sæpe, ac
 sæpius,

sæpius in mentes uestras reuocate, quæ præmia uiuo
 Dei omnipotentis oraculo Christum intrepide con-
 fidentibus sint statuta; quæ ue rursus eos supplicia ma-
 neant, qui uel opes, uel gloriam, uel propriam salu-
 tem sacrosancto illius nomini anteponant. sit clarum
 illud Nicenum concilium, Patres, quo horrenda Ar-
 rianorum rabies sedata est: ornetur eximia laude Cō-
 stantinopolitanum, quo impia Macedonicorum sen-
 tentia fuit damnata: habeatur egregium Ephesinum,
 quod ingentem Nestorianorum flammam extinxit:
 anteponatur his Chalcedonense, quo pertinax Euty-
 chianorum peruersitas est debellata: cætera item in
 æterna gloria sint, quibus diuersæ diuersis tempori-
 bus oborientes hæreses sunt radicitus extirpatæ. erit
 profecto inter horum laudes aliquid loci uestræ glo-
 riæ, si non unam, aut alteram, sed tot, ac tantas recen-
 tium hæreticorum hæreses, atque monstra, uestris san-
 ctissimis decretis, tanquam fortibus, & fulgentibus ar-
 mis, de medio funditus sustuleritis: quanquam om-
 nis honor, & gloria Principi, atque omnium bonorū
 auctori Deo sit tribuenda, qui per uos Ecclesiæ suæ
 consultum esse uoluerit. Quæ cum ita sint, Patres, pri-
 mum totius Reip. Christianæ causa, qua secundum
 Deum nulla res cuiquam potior esse debet; deinde,
 pro uestra summa, & nobis cognita pietate; pro mea
 item, quam communem uobiscum habeo, auctorita-
 te uos hortor, pro magnitudine imminentis pericu-
 li obtestor, ut otio, ut paci, ut omnium saluti consu-
 latis, atque ea in præsentis futurisq; confessibus Spiri-
 tus sancti fauore diligenter, ut instituistis, & fortiter
 decernatis, quæ uobis honesta, Reip. salutaria, Deo

H Opt.

DE RELIGIONE TVE'NDA

Opt. Max. gloriosa sint futura. Te uero beatissime Paule, te inquam sapientissimum, & singulari quadam electione electum Apostolum appello, id quod tacito quodam animi sensu, & cogitatione uniuersa hæc sacrosancta synodus facit, atq; ego illius nomine supplex, humiliq; prostratus, quanta maxima possum animi, & uocis contentione abs te peto, & flagito; ut, quæadmodum huiusmodi die admirabili, atque extraordinaria Dei uirtute, & misericordia effectum est, ut ex Saulo Paulus, ex impio pius, ex atrocissimo Christiani nominis hoste acerrimus eiusdem propugnator, & propagator euaderes; ita piissimis tuis, efficacissimisque precibus hodierna die, atque hoc ipso temporis puncto, quo loquor, eandem plane uirtutem, & misericordiam omnibus rebellibus, obstinatis, atque in suis prauis opinionibus, & hæresibus obfirmatis animis impetrare contendas: quandoquidem ea omnia, quæ humana ratione, & sapientia inueniri, aut excogitari hæctenus potuerunt, nihil, aut certe parum admodum profecere. Quod si per te impetratum fuerit, non tu quidem beatior eris, & sanctior; neque enim esse potes, qui nunc es, & beatissimus, & sanctissimus: sed certe nomen tuum illustrius, & maiori quadam cum celebritate, quam antea, in omnium gentium, ac populorum sermonibus, & mentibus semper hærebit: si quidem ex tali beneficio non minorem utilitatem uniuersus orbis sentiet, ac percipiet, quam olim, dum in terris pro Christo legatione fungereris, ex tuis grauibus, ac uehementibus concionibus idem senserit, atque perceperit: nisi forte maius sit populis patefacere uiam ad felicitatem, quam

curare,

curare, ut qui à uera religione defecerint, rursus refiscant, & in rectam salutis semitam reuertantur. Hoc iterum abs te, non sua commoda procurantes, non priuatas iniurias ulcisci quærentes, non Regni, aut alicuius potentiaæ appetentes, postulant; sed hi qui laudem, ac gloriam Dei tuendam, & conseruandam susceperunt; hi qui rerum omnium sibi charissimarum obliti, maria, & tetras, ad tui exemplum difficilimis temporibus pertranseunt, huc religionis constitutendæ gratia confluxere; hi deniq; qui nihil aliud cogitant, nihil agunt, nihil moliuntur, nihil magis in optatis habent, quàm ut idem sentiant omnes, idem dicant, idem uelint, ac inter ipsos nullū prorsus schisma reperiatur; ita, ut charitatem maxime amplexantes, & in uera fide, ac religione, ea, qua decet, pietate, ac constantia perseuerantes, tandem in Christo, cum Christo, & per Christum in die Domini salui fiant. D I X I.


ERRATA

pag. 5. b. suaq; ipsum innocentia,
 pag. 6. b. possides? quod etiam si
 pag. 8. b. nec amicitia tibi adiungete
 pag. 9. b. ingenia: quod plura
 pag. 11. a. maximi Regis fidei
 pag. 11. b. uolebat. Cum ego
 pag. 16. a. passa sint quid est
 pag. 21. a. decorandæ uidentur, qui
 pag. 24. a. salutaribus, mortifera
 pag. 24. a. nec illis, quidem
 pag. 24. a. præsidio, cum

CORRIGENDA


suaq; ipsorum innocentia
 possides? quod etiam si
 nec amicitia tibi adiungere
 ingenia: quo plura
 maximi Regis fidei
 uolebat: cum ego
 passa sint: quid est
 decorandæ uidentur? qui
 salutaribus mortifera
 nec illis quidem
 præsidio cum


Liber Sacrosanctus Felis Paduana 1596




CORRIGENDA

ERRATA







Ordinij et padoleli orationes.

MC
24.